

Q.H.  
385  
9e

385,9e.

Hn  
1481

(5)

R E C T O R  
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS  
**IOANNES DANIEL  
TITIVS**  
PHYSICES PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIUS  
INSTITUTVM  
IOANNIS CHRISTIANI BORMANNI  
BELEGORA MISNICI SS. TH. CVLTORIS  
III. NON. IVL. A. R. S. CICICCCCLXVI.  
ORATIONE PVBLICE  
MAIORI IN AVDITORIQ  
HABENDA  
LIBERALITATIS THILEMANNIANAE EX LEGE  
PIETATEM DECLARATVRI

C I V , I B V S  
COMMENDAT.



Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XXII.  
obseruatorum in Taciti Germania.

**Q**uam cedro et marmore dignum de institutis maiorum nostrorum Corn. Tacitus volumen, quod de Germania inscribitur, reliquerit, ii demum iudicare et iustis ponderibus examinare norunt, qui non interiectorum modo inter aetatem ipsius et nostrum saeculum temporum rationes cognoscere, sed hodiernorum etiam morum et natui ab ultima origine sensus, qui nostrum omnium est proprius, ex certis nec fallentibus vestigiis sagaciter indagare student. Quidquid in mentem vllis vñquam venire potuerit, vt tanti auctoris fidem suspectam facere conarentur, hoc constabit, non certiora propriae, et sincerae, et tantum sui similis gentis, argumenta deprehendi, quam in antiquatum patriarchum memoriis et recentioris aeui comparatione, respectu quidem genii, quem ex imitatione veterum Germaniae voces. Itaque forte non sine fructu, quem antiquae historiae studiosi inde capiant, quaedam ex Corneliana Germania ad commentationem diligere iuuerit. Locus in ea est : (c. XII.) *Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adjunt.* Sic enim vulgo legitur, scriptura parum explicata. Non est mirum, summis ingenii maximas hinc esse difficultates obieetas. Qui de iudiciorum praesidibus, seu *comitibus*, et horum adfessoribus, seu *scabinis*, hic agi veluti

veluti per nebulam viderunt, partem quidem veri adfecuti sunt, vt CONRINGIVS, BRVMMERVS, alii. At quid dicemus de *centum* scabinis? Quale hoc iudicium futurum fuisset? quum praefertim constet, ter quis anno ad stata et definita loca praesides iudiciorum, in qualibet regione ipsis attributa, sollemnes conuentus iuris dicundi caussa egisse. Quomodo haec conuenient cum ingenio Germanorum, tam inexorabilium erga Varum, litium series ad sece introducere ausum; cuius rei testes sunt VELLEIVS (l. II. c. CXVIII.) et FLORVS? (l. IV. c. XII.) Remedium adferre conati huic incommodo viri eruditи sunt, qui *certi*, *septem*, *duodeni*, scriptum fuisse coniecerunt, vt ex peritia sane antiquitatis, ita parum veri ad similitudinem. Felicior horum fuit sagacitas, qui de centenis aliquid indicari opinati sunt. Superest tamen in verbis mira obscuritas et in ipsa re manifesta repugnantia, si haec lectio retineatur. Per principes enim intelligi centenarii similes iis, posterioris aetatis qui fuerunt, minime poterunt; quia non ex hoc tantum capite, sed aliis etiam huius scriptoris locis notum est, ipsum hoc vocabulo iudices gentis, seu summum in pace magistratum, quales postea duces comitesque apud Francos erant, designare; vti CAESAR quoque (de bell. G. l. VI. c. XXII. XXIII.) fecit. Sed si centenarii accipiantur illi ex plebe comites, singulis qui principibus con-

*filium et auctoritas additi fuerint*, quomodo hoc  
cum posterioris aeui moribus conueniet, quo sub  
quolibet comite tot saltem centenarios, quot cen-  
tenas, fuisse constat? Et tantus certe numerus  
simplicitati Germanorum minime conuenire vi-  
detur. Itaque nihil plane dubitamus, omnibus  
his incommodis facile remedium duarum littera-  
rum et interpunctionis mutatione adferri posse, si  
legamus: *Eliguntur in iisdem conciliis et principes,*  
*qui iura per pagos vicosque reddunt centenis singu-*  
*li.* *Ex plebe comites consilium simul et auctoritas*  
*adsunt.* Sententia ut sic erit planissima, ita etiam  
centenarum origo explicatissima. Plurima enim  
indicio sunt, numerum centenarium, veluti sa-  
crum, in distributione multitudinis maioribus no-  
stris placuisse, et id eos egisse, ut habilius ad re-  
gendum ita centuriatus populus esset. Transgres-  
sos in Italiam et Padi ad confinia Boios centum  
duodecim tribus habuisse, CATO apud PLINIVM  
(H. N. I. III. c. XV.) auctor est. CAESAR, (de bell.  
G. I. I. c. XXXVII.) centum Sueorum pagos ad  
ripam Rheni confessisse et transire conatos esse,  
refert; qui de iisdem testatur, (I. IV. c. I.) centum  
eos pagos habere dici. TACITVS (Germ. c. XXIX.)  
idem de Semnonibus tantum adfirmat: *Centum pa-*  
*gis habitantur.* Vbi tamen emendandum puta-  
mus: *Centum PAGI habitantur.* IDEM simile insi-  
tutum memorat (Germ. c. VI.) de delectis ex  
omni iuuentute, qui ante aciem locabantur: *De-*  
*finitur*

*finitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt.*  
Sed notabiliter subiicit: *Idque ipsum inter suos  
vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen  
et honor est.* Nam, nec in reliquis istis distri-  
butionibus semper exacte huius numeri ratio-  
nem haberi potuisse, perspicimus, quoties *gen-  
tes et cognationes hominum*, vt CAESAR loqui-  
tur, (de bell. G. l. VI. c. XXII.) *qui vna coie-  
rant*, in maiorem multitudinem excreuerant;  
sicuti nec postmodum centenas totidem vbi-  
que familiis aequaliter vbiique descriptas fu-  
isse constat. Idem mos ab Anglis in Britanniam  
etiam inuectus ex hundredis intelligitur, de qui-  
bus docte CAROLVS DU FRESNE exponit. Hoc  
ergo voluisse TACITVM credimus, magistratus  
in pace tunc tempore conciliorum electos, non-  
dum maiores prouincias ditione complexos fu-  
isse, vt postea sub Francis, Romanos imitatis, du-  
ces et comites per bello quaesitas regiones, fre-  
quentibus vrribus, villis, cultis agris, mercatuir-  
is plenas, constitui et centenariis atque praefe-  
ctis minoribus paeponi, necesse fuit; sed cent-  
tum circiter familiarum congregatione cuius-  
que horum principum iurisdictionem termina-  
tam fuisse. Comites ex plebe additos, consilii  
et auctoritatis caussa, non solos adfessores, seu,  
vt, postea vocabantur, scabinos, quod pluribus  
visum fuit, censemus; sed omnes iudicium adiu-  
tores,

tores , ministros , accensosque ; quorum varia genera recenset SAGITTARIVS. ( Antiq. Duc. Thur. l. IV. c. VI. et e. VIII - XI.) Itaque hos principes , seu magistratus , quos describit TACITVS , pari potestate , qua postea Duces et Comites in iure dicundo , non intra maiores tamen ditionis ambitus , quam postea centenarios , rete colligi videtur. Alius etiam locus est TACITI in eodem libro , ( c. XXIX. ) de Batauis , amicis et sociis Romanorum , qui nobis emendatione indigere videtur. Sic vero scribitur : *Manet honos et antiquae societatis insigne. Nam nec tributis contemnuntur , nec publicanus atterit.* Dura et inusitata locutio pridem a viris doctis , praeter Lipsium , iudicata : *tributis contemnere* ; vnde varias coniecturas attulerunt. Nos corrigendum putamus : *nec tributis consumuntur.* Erunt forte , qui hoc ob dilucidam simplicitatem Tacito indignum crediderint. Nos autem falli multos censemus , qui ipsum figuris et contorsione verborum delectatum vbique statuunt. Praeterea proprie et expresse dici per antithesin credimus *tributis consumi* et *a publicanis atteri.* Tributa enim in prouinciis bello subactis aut suspectis pro capitibus aut bonis certo et constituto modo exigebantur ; quum vectigalia contra , publicanis locari solita , in pacatis aut sociis pro mercibus aut frugibus soluerentur , et , quia secun-

secundum vbertatem et prouentuum copiam varie pendebantur, longe tolerabiliora erant, nisi publicani licentia grassarentur. Docent hoc senatus monitus apud TACITVM, et Neronis inde edicta. (Annal. I. XIII. c. L. LI.) Ex eodem TACITO (Annal. I. IV. c. LXXII.) etiam discimus, quomodo tributa etiam modica, saeuitia exigentium, intendi potuerint. Vnde apud eundem TACITVM (Agriç. c. XX XI. XXXII.) apposite ad huius loci intellectum Galgacus de tributis: *Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam, frumentum. Corpora ipsa ac manus siluis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. et rufsus: Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla, et CETERAE SERVIENTIVM POENAE.* Omnia haec de tributis; nihil de vectigalibus. Quam ob rem dici non potest, quantum ratio IVL. CAES. BULENGERVM fugerit, quando (de vectigal. P. R. c. II.) contra optimorum auctorum fidem adfirmare voluit, duriorem conditionem prouinciarum vectigalibus, quam tributo, subiectarum fuisse, perperam interpretatus TACITI locum de Achaia, quae proconsulari imperio leuata et Caesari tradita, non pro vectigalibus tributa subiit; sed loco proconsulis procuratorem, ut sumtibus liberaretur, accepit. Idque ipsum loca STRABONIS et DIONIS, de institutis Augusti, docere ipsum, si atten-

QK II n 1181

attentius perpendisset, potuissent. Sed meliora  
iam BVRMANNVS aliique monuerunt.

Nunc ad id, quod vobis, CIVES, ex utilita-  
te publica significandum est, vertamur. IOAN-  
NES CHRISTIANVS BORMANNVS, SS. Th.  
cultor ornatissimus, ex Thilemanniani testamen-  
ti lege III. Non. Iul. orationem in auditorio ma-  
iore habere constituit *de fine primario acade-  
miarum*. Vos, vt piae voluntatis, qua testa-  
tor liberaliter litteris prodesse voluit, gratam  
memoriam seruabitis; ita oratoris, vestro fauore  
dignissimi, honori hoc tribuetis, vt frequentes  
et beneuoli ad audiendum conueniatis, et rem  
vestram vos agi credere, quoties integris castis-  
que Musarum sacris per pacem et felicia tem-  
pora operari licet, ostendatis. P. P. Vitebergae  
VI. Non. Iul. A. R. S. CICCI CC LXVI.

---

V I T E B E R G E

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIAE A TYPIS

ne

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



5,9e.

R E C T O R  
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS  
**IOANNES DANIEL  
TITIVS**  
PHYSICES PROFESSOR PUBLICVS  
ORDINARIVS  
INSTITUTVM  
IOANNIS CHRISTIANI BORMANNI  
BELEGORA MISNICI SS. TH. CVLTORIS  
III. NON. IVL. A. R. S. CICICCLXVI.  
ORATIONE PUBLICE  
MAIORI IN AVDITORIO  
HABENDA  
LIBERALITATIS THILEMANNIANAE EX LEGE  
PIETATEM DECLARATVRI  
**C I V I B V S**  
COMMENDAT.

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XXII.  
obseruatorum in Taciti Germania.*

